



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Quam fidem, & quorum Christus vidit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 1.

Et ascendens in nauiculam, transfretavit, & venit in ciuitatem suam.

QVÆSTIO I.

Quando transfretavit?

S. 1. POST discessum à Gadarenis historiam recenset Matthæus, Marcus c. 2. 3. Lucas c. 5. 18. ante eadem, nam miraculum sanatorum demoniacorum Marc. 5. 1. Luc. 8. 32. legitur. Multi ordinem seriemque historiarum potius à Marco & Luca seruari, quam à Matthæo putant, duas ob causas, tum quod illi duo ab uno in ordine d'scuntur. Tum quia Marcus accurate tempus notat. Cum, ait, iterum post dies octo ingressum Capernaum, de quibus diebus, quamuis sit inter Doctores disceptatio, tamen Euangelista indicat, tempore, ordinisque rationem ducere. Sed illud octo additum est; nam in Græco & Syro omittitur. 2. in correctis latinis etiam, 3. in Græco est *διημέρων*, id est, per dies seu, post aliquot dies, in Syro *למחר* *Leitumatha*, ad dies. *בפרנחום* Capernaum, consolationis & misericordiae, seu expiationis.

Scopus discursus facit, ut series temporis mutetur.

Non itaque hinc quicquid contra S. Scripturæ auctoritatem confici potest, cum alius miracula diuersa, alius conciones iunxerit, rem sine notatione temporis explicuisse contenti.

Christus inuitus Gadarenis manere potuit.

Hinc concludit Wolfgangus Musculus, non consistendum in loco inuito Domino, ideoque culpam phanaticos Spiritus, qui nolunt egredi viribus, cum abiguntur. Imperite, non enim Dominus quasi iure pulsus abscessit, ut cuius erat à Deo datum, illis prædicandi, sed quod indigni essent. Absit ut dicamus Dominum vniuersorum, non potuisse inuitis seruulis suis in suo consistere. Sic enim conficeretur, ne in ludæa quidem eum permanere potuisse. Inuitis enim principibus bi constitit.

QVÆSTIO I.

Quæ Ciuitas sua, seu idia?

S. 1. NON vna interpretatio omnium est, sed vnum & firmum Catholicorum contra sectarios argumentum hinc sumitur. Quatuor vires sunt, quæ videri possent esse *idia*, propria Christo Domino. Prima Bethlehæm, unde genus originemque duxit, ex domo David; eam Sedulius esse arbitratur. Secunda Nazareth, quia in ea educatus, ex eaque cognomen traxit, ut Nazarenus vocaretur; Tertia Ierusalē, in illa enim docuit, passus est, Ecclesiam collegit, apparuit, sed nondum hoc tempore tanta gesserat Ierusalymis, ut *idia* *πόλις* propriam ciuitatem appellare Euangelista posset, nisi per anticipationem. Quarta est Capernaum; quia in eadem cum doceret, plurima miracula fecit, frequens fuit, & quasi domicilium collocauit. Eam vere esse certo constat ex Marco c. 5. 1. Et iterum intravit Capernaum. ex Luca etiam colligitur, sed minus certo. Chrys. hom. 30. August. de consens. Euang. lib. 2. c. 25. Argumentum contra aduersarios illustre suppeditat. Ille idem locus. Quia namque c. 8. 14. dicitur Dominus venisse in domum Petri: inde *οἱ λαοὶ* hæreticorum occasionem arripuit, Apostolicam paupertatem oppugnandi. Petrum enim non reliquisse omnia contendunt; quamuis id ille profiteri ausus est, & Dominus ideo sedem iudicaturus promissit; Domum enim retinuit, in qua iunxit; vocatur enim *domus Petri*, quia iuris & dominij illius fuit. At sane eodem penitus argumento Christum, Dominum ciui-

Quatuor Christi ciuitates.

Ciuitas Christi dicitur, ut domus Petri.

tatis Caphernaumæ constituere possent; *idia* enim *πόλις* fuerit ea, quæ eius iure & dominio teneatur. Quod si rectè *idia* *πόλις* dicitur, in qua ut ipse Beza interpretari cogitur, veluti domicilium Christus habuit, cum totam aliquam regionem obiret, cur non pari modo domicilium seu *οἶκος* *idia*, seu domus Petri vocabatur, quod ille veluti domicilium habuit, siue domus focus eius fuerit, siue alterius Petri vel cognati, vel amici, siue etiam ita vocetur, quod antè Petri fuerit, sed ab eo relicta? Hoc maiore ratione dici potest, quod non domus Petri *idia* propria dicitur. Sed Petri simpliciter, quamuis vocet Syrus *ביתו* *Lamimech* ciuitatem suam hic appellet.

VERSUS 2.

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto, & videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

QVÆSTIO I.

Quam fidem, & quorum Christus vidit?

S. 1. INsigni opere se fides eorum exeruit, probauit, quæ. Primum quidem paralyticum, cuius morbus incurabilis erat, quatuor viri ad Christum portabant. Noxio enim humore nerui, membraque soluta erant, ut mouere ipse se non posset, quæ causa & *παρολυσία* Græcis, & *כחול* Syris nominatur. Piscator causa impulsus a petro cum fide rogantium, sed ex fide profecta. Non ergo fidei iustificantis. Deinde cum præ turba accedere non possent, tanta enim erat, *ὥστε* *μυλὴν* *χωρὴν* unde *τὸ πλὸς τῆς θύρας*, ut est apud Marc. 2. 3. omnes aditus explorant, ut indicat Lucas 5. 19. & non intuentes, quæ parte illum inferrent præ turba. Tercio, magno labore, maiore fide super lectum, quod eo loco caput planum erat, extulerunt, lectum nudauerunt, & per tegulas, ut habet Lucas, cum lectulo demiserunt. Hæc opera fidem in quatuor illis portatoribus fuisse manifeste ostendunt, nec fidem nudam, sed cum insigni, & audaci charitate coniunctam. Verum non est fides illa Caluiniana, sed eorum quæ à Christo paralytico sanitate erant impetraturæ. Quod igitur obiectum illius fidei? Lectus, turba, domus, tegulæ clamabant, si ipsi taceant. Christum scilicet posse agrum sanare: & id, si accedere & orare possent, facturum sperabāt. Nullo modo puluino securitatis indormiebant, qui lectum ipsum ferebant. Neque certo credebant, se, paralyticumque electos, nec sibi non imputanda peccata, siue præterita, siue præsentia, siue futura. Ratio clara est; Christus Dominus videns fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili: Itaque ad sanitatem contulit momentum aliena fides, cuius respectu Christus beneficium dedit, sed fides illa, quæ se quisquam in omnino scelere iustum arbitratur, non impetrat alteri iustitiam, non ergo illa fides hoc loco est, quæ sit mendicæ manus elemosynam accipiens. Quid enim magis ridiculum, aut potius nefarium, quam ita ratiocinari? Credimus etiam, si hunc de lecto præcipitemus, ut vno impetu conteratur, non tamen nobis peccatum hoc imputabitur? Cum igitur hic de aliena fide agitur, non est fiduciariorum persuasio. Illa enim alijs nihil impetrat. Ex quo discimus cum similia loca alia legimus; nihil ad hæresim stabilendam illa facere, cum huic similia sint.

Hides

Fides ergo his nulla Caluiniana, sed fides aliena, que iustificationem nunquam efficit in alio, quædam beneficium temporalia aliquando impetrat.

§. 2. Cum vero dicit, fidem illorum. Dubium est, an intelligat fidem portatorum duntaxat, an simul etiam paralytici. Et constat quidem paralyticum fidem habuisse nam portari se voluit, & peccata illi Christus remisit, quod sine fide non fit, tamen si modum loquendi spectemus, cum dicit Evangelista: videns fidem illorum, dixit paralytico, apparet de fide portantium duntaxat loqui. Et clarius apud Lucam c. 5. 20. & idem τὸν πιστὸν αὐτῶν, εἶπεν αὐτῷ; Quod si Dominus se iungere fidem eorum voluit, certe ostendit, se nullo modo loqui de fiducia Caluiniana. Quin etiam Caluius hanc fidem ad sanationem restringit.

QVÆSTIO II.

Quid sit, Confide fili?

§. 1. Parui momenti visum est nonnullis, quod tamen magni auctores monuerunt, & ab infidelibus obiectum est. Hic ait Christus θάρομαι τίνος. Confide fili, apud Lucam est ἀθροῦς, homo remittuntur tibi peccata tua. Apud Marcum omittitur θάρομαι, & dicitur, πεποιθὲς, fili, Syrus hoc loco & apud Marcum habet ברי ברי, fili mi, apud Lucam est גבריאל Gabira, quod virum indicat. Hæc Evangelistarum apparens differentia facile conciliatur: nō enim dubium est, omnia dixisse Dominum; virum vocasse, & filium. Compendiosissime enim narrant sensum, & verba, ex quibus ille sumitur, Evangelista. Credidero initio virum appellasse, deinde aucti illius fide, filium.

§. 2. Duos ex his verbis trahunt errores. Primus. Christus a paralytico aliud non requirit nisi τὸ θάρομαι confidere, vel, ut Cicero loquitur, animo confidere, ergo sola fiducia sufficit ad iustificationem, seu peccatorum remissionem. Caluius Christum erigere ad fiduciam animos lib. 3. c. 20. n. 9. Alter, Fidem in animi, seu voluntatis confidentia, non in potentia intellectuæ a Christo collocari. Nam θάρομαι confidere, non est operatio intellectus, sed voluntatis. Neutrum sane hinc conficitur. Longe enim alia mens est Christi Domini, quam illi interpretes imaginantur. Non enim vngam ille dixit; θάρομαι, nam solum θάρομαι, seu fiducia, animi fortitudo te saluum faciet. Neque remittendorum peccatorum causam in fiduciam confert, neque fiduciam ait esse manum mendicam acceptantem peccati remissionem, sed monet eum, ut bono animo sit, quia iam remissa illi peccata erant. θάρομαι, autem confide, ἀθροῦς vel remissa sunt tibi peccata tua. Fiducia igitur non est ratio, seu conditio peccatorum remittendorum, sed fructus, seu effectus inde consequens, maior, inquam spes seu fiducia, nam spes etiam præcessit. Concilium Tridentinum sessione 6. c. 6. & Bellarminus lib. 1. cap. 13. de Iustific. confidentiam seu spem fuisse dispositionem, opus est fidem, & spem præcedere, spem Christus auxit, dum ait, remissa sunt tibi peccata tua. Vt si quis illi qui ob æs alienum in nexum datus est, diceret: Confide amice, soluta sunt debita tua. Non sane indicaret; Fiduciam nexi, causam, conditionem esse solutionis gratui, sed ideo oportere eum θάρομαι, hoc est bono, forti, tuto animo esse, quia debita persoluta sint, & parva libertas. Nihil igitur de sola fide concludi potest, seu fiducia, cum fiducia illa de qua Christus loquitur, fit iustificatione posterior. Nam Christus dicendo ἀθροῦς remittuntur vel remissæ sunt; iam remittebat & remissionis auditionem sequebatur fiducia. Nec ante illa verba Domini paralyticus certus erat, remissa esse. Si enim certus erat, non opus erat id indicare. Beza: Remissa sunt, esse, ait, in tempore perfectio, Emphasin etiam non negligendam quam

uis ἀθροῦς pro eo quod iam agitur etiam accipi solet. Itaque Christus prius erexit eum ad fiduciam, ut bene speraret; ante enim credebatur, sed spes infirmior erat, deinde speranti remisit peccata, eumque sanauit; deum iussit confidere. At heretici ut Pareus lib. 1. c. 13. de Iust. f. primum aiunt habuisse fiduciam. Nos dicimus paralyticum prius habuisse fiduciam, quam videns Christus (ut est in textu: cum vidisset fidem eorum) approbavit dicendo. Confide fili, & remissione peccatorum donauit. Manet ergo, fidem & fiduciam, non spem, iustificare.

Hoc non modo textui repugnat, sed multo magis fiducia etiam ipsorum hæresi. Si enim post fiduciam visam non potest remissione donauit, ergo fiducia fuit ante remissionem, esse ante falsa igitur, nam confidebat peccata remissa, ante quæ remissa essent remissa. Contrarium vero textus etiam indicat: nem. Non enim prius habuit fiduciam remissionem peccatorum, quam id illi Dominus dixisset. Fiducia ergo remissionem secuta est, non antecessit. Vt si quis ob æs alienum nexu diceret, confide, remissa sunt tibi debita tua; certe non iubet eum confidere, nisi sint remissa debita, nec ille remissa ante confidit, quam audiat remissa.

§. 3. Secundus error multo est deterior, quamuis enim ex fide fiducia nascatur, & fiducia stabilimentum sit, non tamen fides est fiducia, multo minus est fiducia Caluiniana: quæ θάρομαι, audacia potius dicenda, quam θάρομαι, fiducia, aut sanè si ad θάρομαι pertinet, κενὸς θάρομαι, λυκά θάρομαι canina, & lupina confidentia nominanda est. Constat sanè θάρομαι & θάρομαι de illis dici qui animo fidenti, bona spe & magnanimitate quadam se aduersis opponunt, itaque requirunt opinionem, seu persuasionem, se pare aut se peritorem fore, & sperat. Non autem ideo θάρομαι est πίστις seu fides. Itaque locus hic errorem destruit. Christus videns fidem illorum, dicit: θάρομαι, bono sis animo, non autem τίς ποτε crede; credebatur enim Christum posse, dubitabat, an sanare vellet, consolatur igitur eum Dominus, & maius expectato beneficium promittit, id Syrus recte expressit ברי ברי Ehlhabeb. Quod est consolari, roborari, æquo animo esse. Non igitur illa confundenda sunt quamuis coniuncta sint. Hoc quoque aduersarij aliquando fatentur. Cal. 1. 3. c. 2. §. 13. [Inter-⁶⁶ Hæc si-
dum fidem restringit ad particulare obiectum, sicuti ^{des san-}
quum dicit Matthæus, Christum fidem eorum vidit. ^{tionem}
se, qui per regulas paralyticum dimiserant; & ipse cla- ^{respicit.}
mat non inuenisse se tantam fidem in Israel, quantam ⁶⁶
centurio attulerat, at qui probabile est, interem pro-
sus fuisse ad filij sanationem, cuius cura occupauerat, ⁶⁶
torum eius animum.]

QVÆSTIO III.

Quomodo remissa peccata?

§. 1. **T**Va, non est in veris latinis, & aliquot Græcis, manet in correctis. Syrus etiam habet ܬܪܬܝܬܐ Chatathaiich, peccata tua.

Piscator in hunc loquitur modum; [Quoniam vi-⁶⁶
deo te agnoscere, quod hunc morbum peccatis tuis ⁶⁶
sis commertus, ac proinde remissionem illorū a Deo ^{Christus}
expetere, nec non credere Deum illa tibi remissurum ^{non tan-}
propter mercedem te bono esse animo & annuncio ti- ^{tum an-}
bi peccatorum tuorum remissionem.] Est illa inter- ^{nunciat}
pretatio in ܬܪܬܝܬܐ ܕܥܕܝ, incide falsa prociusa. Christus e- ^{remissio-}
nim non modo annunciator est remissionis, sed etiā ^{nem.}
remissor. At illi postquam semel animo docere sta-
tuerunt; nec sacerdotes Catholicos, nec suos mini-
stros aliter peccata quam annunciendo remittere, ut
id teneantur, in eandem etiam orbitam Christum tra-
hunt, atque in ordinem redigunt. Improbò plane co-
natu. Si enim ille annunciat Deum remittere, non e-